

que perfectam amicitiae gratiam nisi inter perfectos viros, ejusdemque virtutis perseverare non posse, SS. Patres docuerunt. Unde, quomodo ad perfectionem illius et inviolabilem statum perveniri possit, quasi gradum quosdam statuerunt. *Primum* igitur gradum verae amicitiae in contemptu substantiae mundialis, et omnium quas habent rerum despectione esse dixerunt. *Secundum*, et ita suas unusquisque resecat voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans suis malit, quam proximi diffinitionibus obedire. *Tertium*, ut sciat omnia, etiam quae utilia ac necessaria aestimat, postponenda bono charitatis et pacis. *Quartum*, ut credat nec justis nec injustis de causis penitus irascendum. *Quintum*, ut adversum se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam, curare desideret, sciens aequaliter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris mente depulerit. *Postremum* illud est, quod generale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum; quae persuasio non solum nullam in corde tristitiam residere permittit, verum etiam universae concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Haec igitur quicumque tenuerit, amaritudinem irae atque discordiae nec pati poterit, nec inferre. »

Idem dixerunt Gentilium sapientes de amicitia naturali, quae, scilicet, fundatur in communicatione bonorum et virtutum naturalium. Cicero, lib. *Officiorum*: « Omnium societatum nulla praestantior, inquit, nulla firmitior, quam cum viri boni moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. Nihil enim amabilius, nec copulativius, quam morum similitudo bonorum. In his, in quibus eadem studia sunt, eadem voluntates, in his fit, ut aequae quisque altero delectetur ac seipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. » Idem, lib. *De Amicitia*, asserit, « amicitiam nisi inter bonos esse non posse. » Virtus, inquit, conciliat amicitias et conservat; in ea enim est convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quae, cum se extulit et ostendit lumen suum, et idem aspexit agnovitque in alio, ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo exardescit sive amor, sive amicitia: utrumque enim dictum est ab amando. » Aristotelis haec de amicitia sunt placita: « Amicus est alter ego, » lib. IX *Ethic.* « Amicus debet se tenere ad amicum, sicut genu ad tibiam, » ibidem. « Ambobus existentibus amicis sanctum est praehonorare veritatem, ut dicat: Amicus Plato, sed magis amica veritas, » lib. I *Ethices.* « Honesta amicitia proprie dicitur amicitia, alia ex accidenti, » lib. III *Ethic.* cap. IV. « Amicitia magis consistit in eo ut amet, quam ut ametur. Argumento sunt matres, quae filios amando gaudent, redamari non curant, » lib. VIII *Ethic.* VIII. « Pro-

verbia in amicitia sunt: Una anima: Communia omnia amicorum: Aequalitas amicitia: Tibiae genu propinquius, » lib. IX *Ethic.* cap. VIII. « In quibus jus et justum est, in his est amicitia. » Quamobrem, « quot justorum sunt species, tot et amicorum. Justum certe est et hospiti erga civem, et servo erga dominum, et civi erga civem, et filio erga patrem, et uxori erga virum, etc., et amicitiae sunt in horum singulis, » lib. II *Magnor. Moral.* cap. XII. Bonorum et eorum qui in virtute sunt, amicitia perfecta est, » lib. VIII *Ethic.* cap. III. « Constantissima igitur, stabilissima ac honestissima, quae inest probis amicitia; quippe quod propter virtutem, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis, et quae per eam conciliatur amicitia, constantissima est: at quae ex commo, stabilis non est, quippe quae cum commo elabatur, » lib. II *Magn. Moral.* cap. XII. Si haec vera sunt in amicitia naturali, utique veriora erunt in supernaturali, quae in communicatione bonorum et virtutum supernaturalium, ac praesertim in charitate fundatur; charitas enim est perfecta amicitia, tam hominis cum Deo quam hominis cum homine. Ratio a priori ergo cur amicitia sit constans etiam in adversis, est ejus honestas, dignitas et praestantia: item charitas, cui, si supernaturalis sit, innititur. De quo plura *Prov.* XVII, 17.

Porro haec omnia quae de amico hic sancit Sapiens, per excellentiam conveniunt Christo Domino. Ipse enim est amicus amicorum, praeter omnibus amicis amandus et colendus; per quem et in quo caeteri amici amandi et colendi sunt; sine quo nullus est verus amicus. Christus ergo primo, fundit verbum dulce, quia lingua ejus est *eiχρησις*, id est gratiosa, et lingua charitum, quia lingua non Angelorum, sed Dei ac Verbi Dei, juxta illud *Psal.* XLIV, vers. 3: « Diffusa est gratia in labiis tuis; » et *Cant.* V, 13: « Labia ejus, lilia distillantia myrrham primam; » et vers. 16: « Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus. » Quocirca vere dixit S. Cyprianus de passione Christi: « De impietate et malitia suavitas pietasque Christi triumphat. » Secundo, Christus nobis est consiliarius unus de mille; hoc enim nomen ei dat Isaias cap. IX, vers. 6. Vide ibi dicta. Tertio, Christus est amicus in tentatione, quia per crucem, passionem et mortem pro nobis obitam, probavit suam erga nos amicitiam. Et quia in Eucharistia seipsum nobis in cibum reliquit ad tentationum remedium, ac tribulationum omnium solamen et robur. Vide S. Ambrosium lib. VII in *Lucam*, cap. XI: « Quis, ait, amicior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit. » Quarto, Christus nobis est unanimis, quia nos ter frater per incarnationem fieri dignatus est. Quinto, Christus est amicus fidelis, ideoque protectio fortis. Sexto, Christus est thesaurus animae nostrae. Septimo, Christo nihil aequari aut compa-

rari potest. Octavo, Christus est medicamentum vitae et immortalitatis, juxta id quod ipse ait *Joan.* VI, vers. 52: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; » et vers. 53: « Qui manducal meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Unde S. Leo, sermone 16 *De Passione*: « In me (Christo crucifixo), ait, omnis infirmitas aboletur, omnis plaga sanatur. » Amor enim est transformator amantium, ideoque amantes transformat in Christum.

Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Anima*, cap. VIII: « Quoniam, inquit, formatus in sponsa Christus erat, ait: Pone me ut signaculum in cor aum, ut sigillum in brachium tuum. Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur: ut, si fieri potest, tota ejus species exprimat in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus. » Talis erat S. Paulus de quo S. Chrysostomus in illud *Galat.* II, 20: *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in*

me Christus: « Quoniam, inquit, seipsum Christo et cruci totum praebuerat, et ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit: Vivo ego Christo; sed quod longe majus est: Vivit vero in me Christus. » Unde sapienter et pie S. Bernardus in *Formula honestae vitae*: « Sit tibi Jesus, ait, semper in corde, et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat: semper illum cogita pro te in cruce pendentem. Sic nimirum erit tibi fasciculus myrrhae inter ubera tua. » Et S. Augustinus in *Meditation.* cap. XXXV: « Dulcissime et amantissime Jesu, infunde, obsecro, multitudinem charitatis tuae pectori meo, ut te solum in corde habeam. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam, nulla unquam oblivione delendam, etc. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, cum abscondisti timentibus te! » Idem, epist. 52 *ad Macedon.*: « A charitate, inquit, aeternitatis et veritatis, cujus regnator est Christus, manat vera amicitia, non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore potianda. Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE ARDUO SAPIENTIAE.

18. **FILI, A JUVENTUTE TUA** (SYTUS, a pueritia tua) EXCIPE (legit, *ἐπιδέξαι*; jam legunt, *ἐπιδέξαι*, id est elige) DOCTRINAM (Graece *παιδείαν*, id est, institutionem disciplinam, qua *παιδες*, id est pueri, erudiuntur et formantur in litteris et bonis moribus), ET USQUE AD CANOS INVENIES SAPIENTIAM. — PRO *ἐως ποδῶν*, id est usque ad pedes. Sapiencia enim non est in pede et talis, sed in capite et canis. Tigurina: *Fili, a juventute tua addisce disciplinam, et sapientiam tandem canescens invenies*; Vatablus, *ad canos usque duraturam invenies*; aut, *οὐρανίαν usque sectaberis*. Ut per metalepsin *τὸ ὑπερβίον* sumatur pro inquirens, investigabis, sectaberis; quae enim invenire cupimus, ea inquirimus, vestigamus et sectamur.

Igitur est hic duplex sensus. *Primo, q. d.* Fili, a juventute tua aperto pectore suscipe sapientum instructionem et doctrinam: ita fiet ut usque ad canos, hoc est in canis, puta in senectute et canitie, invenias sapientiam; sapientia enim diu discenda est, ac a pueris per omnem aetatem, ut in senectute ea plene potiamur et fruamur. In pueris enim dominatur gula, in juvenibus luxuria, in viris ambitio: at haec omnia cadunt in senectute, tunc homo incipit perfecte sapere, cum passionibus sopitis divina ambit ei aeterna, quibus se

propinquare cernit. Rursum tunc invenit sapientiam, id est fructus sapientiae, puta animi quietem, moderationem, laetitiam, etc.; hos enim fructus parit sapientia. Disce ergo, juvenis, ut senex invenias et fruaris sapientia; sapientia enim, ut ait Aristoteles, non est in juvenis novitate, sed in senum experientia.

Secundo, q. d. Fili, a juventute tua stude doctrinae et sapientiae, quia haec nunquam te deseret; sed ad canos usque tibi adhærebit, teque indivulse comitabitur, cum opes, voluptates, honores hominem in senio deserant. Rursum Palaeus sic explicat, *q. d.* Disce, juvenis, et usque ad canitiam semper licebit sapientiam invenire, et in ea proficere. Cum enim sapientia sit dilectio Dei, ejus luce resplendens, ab ejus gratia dimanans, ut in gratia et dilectione et fide, licet semper, dum vivimus, proficere (ut quaedam Clementina decrevit): ita et in sapientia semper usque ad canos proficere licebit.

Priori sensui favet id quod sequitur: « Quasi is qui arat, et seminat, accede ad eam, et sustine (expecta in senectute) bonos fructus illius, » *q. d.* Sere in juventute semina sapientiae, ut ejus fruges metas in senectute; senum enim est sapientia, senum, inquam, qui a juventute ei vacarint: qui enira a puero vacarunt concupiscentiae et in-

sipientiæ, in senectute erunt pariter concupiscentes et insipientes. Unde Nazianzenus in *Tetrastichis*: « Senes, inquit, decet sapientia, juvenes temperantia. » Est ergo laus sapientiæ, quod ipsa sit decus et ornamentum senectutis. Ut hoc ergo bonum senectuti tuæ concilies, a puero eidem vacare incipe. Verum id ipsum posteriori quoque sensui adaptes; subdit enim: « In opere ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. » Posterior ergo sensus, uti uberior, ita simplicior et germanior est, ac priorem includit. Summa jubet studioso sapientiæ, ut a puero addiscat eam, tum quia puerilis ætas est quasi cera et tabula rasa, quæ quaslibet figuras sibi impressas facile recipit, et constanter retinet, juxta illud:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Senectus vero dura et inflexilis est ab iis quæ in juventute didicit, quibusque per tot annos assuevit. Tum quia sapientiæ studium est sublime, longum et arduum, igitur a puero capessendum. Præclare S. Hieronymus, epistola 7 ad Lætiam, *De Instit. filia*, illam a puero litteris sanctisque moribus imbuendam docet: « Difficulus, inquit, eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchyliis quis in pristinum colorem revocet? » De puerorum institutione plura vide apud Clementem Alexandrinum in *Pædag.*, Xenophontem in *Pædia Cyri*, Platonem lib. II, IV et VII *De Rep.*, Aristotelem in *Œconom.*, Plutarchum et alios. De eadem plura dicam cap. xxx, vers. 1.

Incipit hic secunda pars capituli, qua ab amicitia transit ad studium sapientiæ, tum quia vera amicitia est comes et filia sapientiæ; tum quia identidem Siracides salit et resilit ad sapientiam, quasi ad totius libri scopum et argumentum: totus enim hic liber agit de sapientia, tum in genere, tum in specie; varias virtutes et virtutum officia recenset; ac deinde a speciebus ad genus, puta ad sapientiam, quasi ad objectum sibi adæquatam resilit.

19. 19. QUASI IS QUI ARAT, ET SEMINAT, ACCEDE AD EAM (id est longanimitè et patienter labora), ET SUSTINE BONOS FRUCTUS ILLIUS. — SYRUS, sicut seminator, et sicut messor, accede ad eam, et multitudinem frugum ejus colliges; Vatablus, quasi qui ares et seras, accede ad eam, et bonos ab ea fructus expecta. « Vomere quippe Evangelii, ait Rabanus, de corde suo genimina vitiorum debet extirpare, qui semen divini verbi edere, et fructus dulcissimos sacrarum virtutum desiderat metere. » Docet modum parandi sapientiam ex similitudine et modo parandi fruges et messem per agriculturam. Sicut enim agricola primo, magno labore spinas et radices eruncat, vel, ut Cato ait, averruncat, id est runca evellit, exherbat et extirpat; deinde terram arat, subigit et excolit. Secundo, in ea seminat id quod metere cupit, ac dispendium seminis patitur ut illud auctius recipiat. Tertio,

hæc omnia facit spe frugum, quia scilicet speram opimam messem. Quarto, messem longanimitè per multos menses exspectat: ita pariter sapientiæ studiosus primo mentem suam quasi terram, evulsis vitiorum spinis, multo labore poliat, subigit et excolat, juxta illud *Jerem.* iv, 3: « Novate vobis novale, et nolite serere super spinas; » secundo, in ea semina divinæ sapientiæ partim legendo vel audiendo, partim meditando, partim orando, partim divinas illuminationes et inspirationes hauriendo, jaciatur et excipiat; tertio, sperat fructum et messem sapientiæ; quarto, longanimitè eam, ejusque frugum copiam, dulcedinem et præstantiam exspectet, juxta illud:

Multa tulit, fecitque puer; sudavit, et alsit.

Et:

Non jacet in molli veneranda scientia lecto;
Illa sed assiduo parta labore venit.

Huc alludens S. Jacobus cap. v, 7, ait: « Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum: patienter igitur estote et vos, et confirmate corda, » etc. Vide ibi dicta. Porro, sicut totius vitæ laborem sibi agricultura desiderat, ita et vehementius eundem sapientiæ cultura deposcit. Ideo ait Paulus: « Dei agricultura estis, » *I Corinth.* iii, 9.

Quocirca S. Bernardus, serm. *De Septem donis Spiritus Sancti*: « Ager est mundus, ait Veritas, fodiamus in eo: thesaurus absconditus latet, effodiamus eum. Ipsa est autem sapientia, quæ trahitur de oculis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit. » Et Seneca, *epistola* 109: « Prosunt, ait, inter se boni; exercent enim virtutes, et sapientiam in suo statu continent. Peritos luctandi usus exercet. Opus est et sapienti agitatione virtutum. » Igitur, sicut ager terræ, ut copiosam ferat messem, longo labore et spe debet arari, fodi, occari, seminari, sarriri, etc.: sic prorsus hæc omnia mystice peragenda sunt in agro animæ, ut copiosos sapientiæ et virtutis fructus proferat. Nam, ut ait Origenes hom. 9 in *Exod.*, « spes futurorum laborantibus requiem parit, sicut in agone positus dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. » Et Apostolus: « Debet in spe, qui arat, arare, » *I Corinth.* cap. ix, 10. Vide ibi dicta.

20. IN OPERE ENIM IPSIUS EXIGUUM LABORABIS, ET CITO EDES DE GENERATIONIBUS (id est fructibus ab ea genitis) ILLIUS. — SYRUS, velut laborem exiguum laborabis, et statim fructus ejus comedes; Vatablus, nam in opere ejus non multum elaboraveris, quin de proventibus ejus mox comedas.

Pro in opere, Græce est ἐν ἔργῳ. Hæc vox tria significat: primo, ipsum opus et officium; secundo, ipsam operationem, occupationem, actionem, culturam, exercitationem, operam et laborem, qui ad opus efficiendum suscipitur, pu-

psam agricolationem; tertio, utriusque, scilicet am operis quam operationis et laboris questum et lucrum. Omnibus hisce modis hic accipi potest, sed optime secundo. Persistit enim in metaphora agricolæ, qui magno labore terram arat, sarrit et seminat; sicut enim ille post terræ culturam, mox ex ea fructus percipit: ita studiosus sapientiæ ex studio et cultura mentis, illico et citius quam agricola ex ea suaves et præstantes sapientiæ fruges colligit, juxta illud: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, » *Psal.* cxxv, vers. 6. Hoc est quod ait Paulus *Hebr.* cap. xii, vers. 11: « Omnis disciplina, in præsentem quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

Porro sapientiæ fruges et fructus sunt multi et eximii, e quibus paucos hosce recenset Palacius: Primus est animam liberare a tenebris et cæcitate, quam perseverantia peccandi parit. Secundus, liberare a tormentis, quæ mens sibi male conscia sentit: cum enim peccatum sit vulnus animæ, necessario ei dolorem et tormentum inculcet, nisi mortua jaceat. Tertius et maximus, liberare a metu inferni, quem sibi peccator sibi commeruit. « Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? » Quartus est, erigere animam in spem vitæ æternæ potiundæ: « Expectantes (inquit) beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, » etc. Quintus, erigere animam ad confitendum in Deo velut in patre, qui in omni tribulatione nostra consolabitur nos. Sextus, « expectare diem mortis et judicii cum animi fiducia; » imo nonnunquam dicere: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » Septimus, sentire jam nunc lætitiæ, gaudium et jubilatiōnem cœlestem, dicente illo: « Parasti in conspectu meo mensam; » et item: « Faciet Dominus in monte isto convivium pinguium medullatorum. » Et item: « Gaudele in Domino semper. O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus! » *Sapient.* xii, vers. 1. « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, » *Psal.* xxxiii, 9. « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, » *Psal.* cxviii, 32. Porro primos hosce fructus illico percipit anima, ac deinde sensim cæteros, imo non raro cum peccatorum expulsionem sentitur miræ conscientie serenitas, gratiæ jucunditas, consolationis cœlestis, qua Deus animam mulcet, copia, suaves piæque lacrymæ, etc. Exemplum illustre preluxit in Christo, qui modico tempore in cruce et morte laborans, mox resurrexit ad vitam et gloriam immortalem, ex brevi passionis semine metens sibi et nobis opes immensas et gloriam sempiternam.

21. QUAM ASPERA EST NIMIUM SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS, ET NON PERMANEBIT IN ILLA EXCORS. — Indoctos vocat insipientes et imprudentes, qui non rationem, sed concupiscentiam sequuntur. Eos-

dem vocat excordes, id est vecordes et stultos; his enim ob asperitatem horrori est sapientia practica (de tali enim hic passim est sermo), puta prudentia, virtus et sanctitas: unde Syrus vertit. *quam aspera stultis sapientia, et non patientur eam excordes; Tigurina, quam aspera valde est imperitis; nullus enim excors perdurat apud eam, q. d.* Quam aspera est guloso temperantia, luxurioso castitas, avaro liberalitas, superbo humilitas, iracundo lenitas, pigro labor et sedulitas! Utique est ei quasi lapis oneris, ut ait vers. 22; sicut enim stomacho amaro cibi dulces videntur amari, ita carnali et cupidinibus suis addicto, sapientia et virtus in se suavis et placida, videtur aspera, inaccessa et impossibilis, juxta illud *Proverb.* xxiv, 7: « Excelsa stulto sapientia; et *Proverb.* xv, 5: « Stultus irridet disciplinam patris sui; » et vers. 12: « Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur. »

22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS, Vers. 22. ET NON DEMORABUNTUR PROJICERE ILLAM. — « Virtus, » sive vis, « lapidis, » est lapidis fortitudo, pondus et gravitas: hujus adinstar « erit » stultis « probatio, » sapientiæ, q. d. Sicut homo ignavus, volens elevare et imponere humero vel capiti lapidem gravem et ponderosum, mox ut ejus gravitatem et pondus sentit, illico eum deponit et abjicit: ita stulti tentant quandoque addiscere sapientiam, eamque in humeros elevare et suscipere cogitant; sed mox ut ejus difficultatem, onus et pondus sentiunt, illico ex ignavia et amore suarum cupiditatum eam abjiciunt. Sicut ergo lapis probat vires corporis, sic sapientia probat vires animi; qui enim forti et resolute animo eam complectuntur, omne ejus onus generose superant, itaque onus eis in levitatem, et quasi in pennas et plumas vertitur: qui vero depressi et carnali sunt animo, oneri ejus succumbunt, ideoque eam deserunt. Syrus et Hugo per lapidem accipiunt gemmam pretiosam; sic enim vertit Syrus, *sicut lapis est pretiosus super eum, ne intueatur et dimittat eam, q. d.* Stultus aspiciet eminus sapientiam, quasi gemmam, v. g. adamantem, supra se et opes suas elevatam, quam proinde quasi nimii pretii cominus intueri non audeat, ut eam comparet, et in pectus suum immittat, sed eam aliis ditioribus et nobilioribus emendam relinquit. Verum nemo est qui gemmam velit *ἀπορρίψαι*, id est abjicere. Quare melius alii passim accipiunt lapidem vulgarem, gravem et ponderosum; hujus enim pondus, qui supra suas vires esse sentit, illico abjicit. Unde Vatablus vertit, *tanquam lapis probatur gravis* (Græce *ὡς λίθος*, id est validus, fortis, ponderosus), *incumbit illi, nec moram interponit, quin eum excutiat*. Alkidit ad lapidem lacte; in lacte enim certabant viribus, quis majorem, magisque grandem et ponderosum lapidem ferre posset: hic enim vocabatur *lapis oneris*, sive discus, et Græce *λίθος ὀνηρίας*, id est *lapis probationis*, quia eo probantur et explorantur

Lapis oneris quis?

quantæ essent vires et robur cujusque, ut scirent quis cui antagonistæ in lucta deberet comparari et opponi: de quo Zacharias cap. XII, 3: « In die illa, inquit, ponam Jerusalem quasi lapidem oneris iunctis populis: omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur. » Vide ibi dicta. Hic ergo lapis ignavis et timidus est lapis oneris; fortibus vero et sapientiæ, id est virtutis studiosis, est lapis roboris, gloriæ et triumpho, ideoque eis quasi in gemmam illustrem, puta in smaragdum, carbunculum et adamantem convertitur. Rursum, hic lapis est quasi lapis Lydius, qui probat et discernit aurum verum a falso et fictio: pari enim modo disciplina sapientiæ probat et secernit veros discipulos a falsis. Unde huc alludens Isidorus Pelusiota *epist.* 400: « Vir patiens, inquit, laborum exploratio est, et quasi lapis δοκιμασις, id est probationis. » Nam, ut ait Nazianzenus in *Carmina De Virtute et vitiorum definitione*: « Patientia, malorum est decoctio. »

Moraliter, discite hic disciplinam, mortificationem, tribulationem, morbum, calumniam, persecutionem, esse lapidem oneris et probationis; ejus enim onere probatur patientia, humilitas et fortitudo cujusque fidelis. Illam ergo quasi onus humeris nostris a Deo impositum hilariter capessamus, et generose portemus; ita veræ sapientiæ decus, puta Dei gratiam, gloriam et coronam quasi athletæ Christi nanciscemur. Quod circa S. Augustinus in *Psalm.* LXXXVI: « Quadrati lapidis, inquit, similis esse debet Christianus; in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur; et si qua vertitur, nunquam cadit; nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper: stantem te sic inveniat omnis casus. » Sic et Plato, Aristoteles, Plutarchus et Seneca patientes et fortes pioque viros vocant tetragonos, id est, quadratos. Philo vero lib. *De Sacrific. Cain et Abel*; labores et molestias comparat cum escis, quibus nutritur et roboratur homo: « Equidem existimo, inquit, laboris ubique eandem vim esse. Nam, sicut a cibo tota vita pendet una cum suis actionibus: ita etiam a labore pendet quicquid in rebus bonum est. Ergo sicut qui vitam progare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborum perpersionem magni faciunt; sicut enim cibus se habet ad vitam, sic illa ad honestatem. » Porro Deus hunc lapidem cujusque viribus admittitur, ut minus forti minus ponderosum, magis forti magis ponderosum imponat; aut certe, si pondus lapidis vires hominis superet, Deus homini vires adauget et ponderi commensurat. Quare nemo de nimio ejus pondere jure queri potest, nemo ab eo ferendo se excusare. Nam, ut ait Apostolus I *Corinth.* X, 13: « Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione preventum, ut possitis sustinere. » Denique pondus hu-

jus lapidis sentiunt acedi et tepidi duntaxat; nam amantes et ferventes dicunt cum S. Bernardo: « Labor meus non est nisi unius horæ; et si amplius, non sentio præ amore. » Amanti enim nihil est difficile.

23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINÆ SECUNDUM NOMEN EST EJUS, ET NON EST MULTIS MANIFESTA. — Primo, Hugo sic explicat: *Sapientia est secundum nomen ejus, scilicet, stulti et excordis, de quo vers. 22, q. d. Stulti sapientiam doctrinæ reputant stultitiam, quia non capiunt, nec sapiunt ea, quæ dicuntur. Verum obstat Græcum ἀδρῆς, id est ejus, quod est femininum, ac proinde stultum referre nequit, sed sapientiam.*

Secundo, Dionysius, Lyranus et Robertus Hoikot exponunt, q. d. Sapientia doctrinæ, id est sapientia hæc salubris et doctrinalis, docens summo bono adhærere, nomen habet a sua proprietate, et re ipsa, suaque actione, videlicet, ab interno divinatorum sapore, et gustu dulcedinis summi boni; dicitur enim sapientia a sapore, quasi sapida scientia. Hunc autem ejus saporem et gustum absconditum pauci percipiunt, nec nisi ejus studiosi. Verum obstat, quod Siracides fuerit Hebræus, non Latinus, scripseritque hebraice, ac proinde ad Hebræum sapientiæ nomen, non ad Latinum, respexerit.

Tertio, alii σοφίαν, id est sapientiam, censent alludere ad ἄσπλαγ, quasi σοφία sit ζῆπος, id est caligo, puta obscura et arcana. Verum huic obstat idem quod priori; Siracides enim hebraice scripsit, non græce. Potuit tamen ipse, utpote græce peritus, ad Græcæ linguæ tunc in Ægypto, ubi ipse hæc scripsit, usitatæ etymon secundario alludere. Ita Pineda in *Job* cap. XXVIII, vers. 18, in fine: Sophia, inquit, a ζῆπος, id est a caligine, dicitur, quasi in caligine et ignoratione delitescens.

Quarto, Jansenius facile se expedit, sicque explicat: *Sapientia est secundum nomen ejus; hoc est, est id quod dicitur et prædicatur, nempe, ardua res et excelsa, et non quibusvis obvia. Accedit Rabanus: « Sapientia, inquit, doctrinæ, sinceritas est legis divinæ; quæ secundum nomen ejus est, hoc est, prudentia, veritas et virtus. » Consentit Hugo: Sapientia, inquit, ignota et occulta est tam quoad nomen, quam quoad rem: quia Philosophi disputant tam de nomine, quam de re sapientiæ. Quærent enim quis sit sapiens? quid sit sapientia? Rursum sapientia occulta est, quia ipsa est prudentia, virtus et veritas occulte illuminans mentem, et inflammans voluntatem.*

Quinto, aliqui pro ἀδρῆς, id est ejus, legentes αἰσῆσις, id est ipsius, scilicet indoctis et excordibus, de quibus vers. 22 et 23, sic explicant, q. d. Sapientia secundum nomen est indoctis, hoc est, nomine tenus illis nota est, re ipsa autem ignota; vel quoad nomen duntaxat illis competit, q. d. Nomen habent sapientum; revera autem sunt insipientes. Favet Tigurina: *nam sapientia talibus*

(excordibus) de nomine tantum suo, neque adeo virtus nota est. Huc accedit S. Thomas II, *Quest.* XLV, art. 2, ad 2: « Videtur, inquit, hic nomen sapientiæ accipi pro ejus fama, quæ a cunctis commendatur, » q. d. Nomen et fama sapientiæ apud omnes est illustris; sed tamen pauci eam assequuntur. Ex adverso Syrus vertit, *nomen ejus sicut doctrina ejus, et stultis non revelatur, q. d. Stultis, tam nomen quam doctrina sapientiæ est ignotum et invisum.*

Sexto, alii per sapientiæ nomen accipiunt, non nomen proprium, sed epithetum appropriatum; sapientia enim in Scriptura vocatur thesaurus absconditus, aurum, argentum, gemma, margarita, quæ absconduntur, vel in conchis maris, vel in abditis venis terræ. Vide *Job*, cap. XXVIII, vers. 12 et sequent., ubi sapientiam comparat auro et topazio abscondito: « Abscondita, inquit, est ab oculis omnium viventium: Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum ejus. » Ita Pineda in *Job*, cap. XXVIII, vers. 18, in fine. Nam cum sapientia, inquit, sæpe nominetur auri, gemmarum universarumque opum appellationibus, significatur esse aliquid reconditum in occultis recessibus, ideoque a paucissimis inveniri, et, quod in rebus rarissimis pretiosissimisque contingit, plerisque ignotam et occultam esse, et non nisi nomine tenus cognitam; qui autem semel illam invenit, si sapiens est, nunquam dimittit. Sic Christus sapientiam Evangelicam vocat thesaurum in agro absconditum: « Quem qui invenerit homo, abscondit; et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum, » *Matth.* XIII, 44. Et Apostolus passim vocat thesauros sapientiæ et scientiæ Dei absconditos in Christo. Thesaurus autem vocantur opes pretiosæ, arcana et absconditæ; dicitur enim θησαυρος quasi θῆμενος εἰς ἀπόκρυτον, id est, repositus et reconditus in futurum. Hac de causa Christus Dominus Patrem contestans ait: « Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, » *Matth.* XI, 25.

Septimo, sapientia doctrinæ, scilicet sacræ et divinæ, et nomine suo vocatur, et re ipsa est mystica et abscondita. Dogmata enim ejus vocantur mysteria, id est, sacramenta et sacra arcana, ac doctores ejus vocantur mystæ, ἀπό τοῦ μύστυς ἑρμῆς, id est, a claudendo ore, eo quod mysteria ejus silentio tegenda, ac non nisi paucis et dignis evulganda sint, ideoque Christus populo loquebatur in parabelis; Apostolis autem, apertis clarisque verbis, *Matth.* XIII, vers. 13. Hinc Paulus: « Loquitur, ait, Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, I *Cor.* II, vers. 7. Et S. Dionysius, S. Pauli discipulus, scripsit librum *De Mystica Theologia*. Denique prisci illi sapientes sub æte tempora Siracidis, ut Ezechiel, Daniel, Zacharias, Pythagoras, Plato, Trismegistus, sa-

piantiam suam docebant per hieroglyphica, symbola, emblemata, ænigmata, ut eam celarent rudēs et incapaces; capaces vero ad ejus studium excitarent. Unde signanter ait Siracides: « Sapientia doctrinæ, » q. d. Sapientia quatenus docetur a mystis et Theologis hujus ævi, tam quoad dogmata, quam quoad eorum nomina, est symbolica, obscura et ænigmatica.

Denique, ut plane et plene textui et litteræ satisfaciam, sensus est, q. d. Sapientia indoctis est aspera, et instar ponderosi lapidis, quem quia humeris ferre non valent, quia non volunt, hinc eum illico excutiunt. Nam sapientia, secundum nomen et etymon suum hebraicum, sonat rem laboriosam, difficilem, arduam, reconditam, quæ non nisi magno labore erui et in lucem produci potest, quia ipsa revera talis est. Id ita esse ostendo in quatuor Hebraicis vel Arabicis sapientiæ nominibus. Primum est *ilm* vel *talim*; radix enim *עלם* *alam*, hebraice significat *abscondit*; unde *alma* vocatur virgo viro incognita, et domi abscondita. Arabice vero (Arabica autem est affinis, et quasi dialectus Hebraicæ) *alam* significat: primo, abscondit; secundo, novit, scivit, certus fuit; inde *עלם ilm* vocatur sapientia, scientia, doctrina, ars, prudentia; *תלמים talim* vocatur informatio, studium, disciplina, tractatus; *alim* vocatur sapiens, sciens, prudens, doctus, litteratus; unde dicitur Elymas, id est magus, et rerum arcanarum peritus, uti dixi *Actor.* XIII, 8; *Muallim* vocatur doctor, magister, rabbi; *muallam* vocatur discipulus, studiosus. Unde Saraceni et Turcæ rem quamquam asseverantes et jurantes dicunt, *עלם אלה illa alim*, id est, Deus novit, qui novit arcana pectoris.

Secundum Hebræum sapientiæ nomen est *Magia*. *מהגים magim* enim, id est magi, apud Hebræos, indeque Chaldæos, Persas, Arabes aliosque Orientales vocantur sapientes, quasi meditantēs et scrutantes arcana; et magia vocatur sapientia arcana. Radix enim *הגה haga* significat meditari, speculari, disquirere, scrutari. Unde *higgaion* est meditatio. Porro *haga* plane alludit ad *iaga*, id est laborare, dolore afficere, affligere, fatigare; quia scientia, quæ per meditationem paratur, magno labore et fatigatione mentis acquiritur; quam quia, velut lapidem onerosum, refugiunt insipientes; hinc pariter ad sapientiam penetrare nequeunt.

Tertium nomen sapientiæ est *תלמוד talmud*, id est doctrina; hoc enim alludit, et quasi includit *עלם alam*, id est abscondit; ut *talmud* dicatur quasi *almud*, puta, res abscondita. Rursum a *lamad*, id est docuit, et *talmud*, id est doctrina, derivatur *מלמד malmad*, id est stimulus: puta baculus aut virga, in cuius summitate est aculeus, quo bubuleus pungit boves; sic dictus, quod boves doceat arare, ait R. David. Pari modo juvenes a magistro, ferula quasi stimulo erudiuntur et docentur sapientiam; quare eis aspera et